

quibuscumque coram dicto archiepiscopo vel suis successoribus et eorum vasallis prolatis stetur litteris iudicum vel iudicis cum inscriptione aliquorum fidelium ipsius ecclesie, qui sentencie vel sentenciarum prolacioni interfuerint, cum huiusmodi veritas merito subsistat, que tam iudicum seu iudicis quam fidelium litteris testimonio roboratur.

(4) Item statuimus et presentibus ordinamus, quod in omnibus et singulis causis seu questionibus super feodis vel retrofeodis a predicta ecclesia Treverensi dependentibus, exortis ac etiam oriundis, ubi aliqua partium se gravatam senserit, hec ad memoratum archiepiscopum vel eius successores pro tempore existentes tamquam ad superiores dicti feodi dominos possit legitime appellare. Et si in aliqua causa coram dicto archiepiscopo vel eius successoribus et eorum vasallis ventilanda vasallos sentencias proferentes discordes esse contigerit, etiam si maior pars in unam sentenciam concordaverit, volumus similiter, quod prefatus archiepiscopus et eius successores, ubi ius vel equitas vel alie cause rationabiles eos moverint, super causa huiusmodi seu super prolacionibus sentenciarum sic in discordiis prolatarum ad curiam regalem vel imperialem valeant provocare ita, quod dicti archiepiscopus et eius successores causam huiusmodi introducere possint ad imperialem vel regalem curiam prenotatam.

L 32 XIII und *L 39 XII: enthalten schon miteinander übereinstimmend den § 1 mit den oben ersichtlichen Auslassungen und dem Zusatze hinter 'possint': 'et etiam si inter ipsos nobiles, vasallos et ministeriales dicte ecclesie Treverensis et per ipsos super aliquibus bonis seu questionibus ipsam ecclesiam Treverensem tangentibus et, de quibus ipsi cognoscere et iudicare de iure vel consuetudine poterunt et debebunt, proferende sint sentencie, quod consimiliter iuxta eosdem imperialis et regalis aule iura, modum et consuetudinem proferantur'.

1354 Jan. 8 (B.-H. 1725).

(1) Unde ad venerabilis Baldewini . . . precelsa merita dirigentes intuitum nostre mentis sibi suisque successoribus imperpetuum duximus concedendum, quod de . . . subditis suis et de . . . bonis accionibus ac questionibus . . . iura, formulas, modum . . . regie iudicare et ipsos citare eisque terminos statuere et sentenciare . . . possint.*